



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

iv. An gaudeat hæreticus? Vbi etiam agitur de Gentili?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Inftabis, fufpenfus, vel interdictus ab ingreffu Ecclefie denunciatus priuatur fepultura Ecclefie, ergo & priuatur immunitate eiusdem.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam; quia in pœnis (præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ, quæ est quammaximè fauorabilis) non valet illatio de casu ad casum, etiam à maioriore, nedum à paritate rationis, sicuti diffusè dicitur *infra dub. 24. sect. 3.*

SECTIO III.

An gaudeat excommunicatus?

SVMMARIVM.

- 1 Excommunicatus, licet denunciatus, vel non toleratus, gaudet Ecclesiastica immunitate.
- 2 Clericus excommunicatus non perdit priuilegium fori, vel canonis, nec excommunicatus immunitatem.
- 3 Ecclesia interdicta non perdit priuilegium immunitatis.
- 4 Excommunicatus licet sit exclusus ab Ecclesia formaliter, hoc est à fidelium communione, non tamen est exclusus à materiali ob immunitatem.
- 5 Excommunicatus non defenditur ab Ecclesia ratione delicti, sed ratione priuilegij immunitatis Ecclesiæ ipsi competentis.

Respondetur, quod gaudet etiam excommunicatus, quamvis denunciatus, vel non toleratus, ob eandem rationes modò supradictas.

Confirmatur, quia clericus excommunicatus non perdit priuilegium fori, vel Canonis: ergo nec laicus excommunicatus perdit hanc immunitatem. Confirmatur secundo, quia Ecclesia interdicta (vt dicebatur *cit. dub. 9. sect. 4.*) non perdit priuilegium immunitatis, ergo nec perdit illud homo excommunicatus.

Atque ita ex communi etiam docent Sylu. *verb. immunitas 3. quæst. 3.* Angelus *eod. verb. num. 11.* Rosella etiam *eodem verb. immunitas 2. num. 7.* Armilla *eod. verb. num. 7.* Nauar. *cap. 25. num. 20.* Alter. *de cens. tom. 1. lib. 2. cap. 50. l. 3.* Fagundez *de præceptis Ecclesiæ, præc. 2. lib. 4. cap. 3. n. 60.* Ioan. de la Cruz *part. 1. præcepti 8. q. 3. art. 1. dub. 1. concl. 2.* Chartarius *de iur. crimin. 59. num. 17.* Lezana *verb. immunitas, num. 5.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 34.* & alij Doctores præcedenti *sect. num. 6.* citati contra Felinum, & Summam Confessorum *vbi supra.*

Obiicies, excommunicatus est exclusus ab Ecclesia, & fidelium participatione: ergo exclusus erit à priuilegio immunitatis.

Respondetur, concedo antecedens, si scilicet intelligatur, (vt suprà dicebam) de exclusione ab Ecclesia formali: at nego consequentiam: quia (vt etiam suprà dicebam) in pœnis (præsertim si sit in præiudicium Ecclesiasticæ immunitatis, quæ est quammaximè fauorabilis) non valet illatio de casu in casum, etiam à maioriore, nedum à paritate rationis.

Inftabis, excommunicatus est rebellis Ecclesiæ, ergo non est cur ab illa defendatur.

Respondetur, similiter concedo antecedens: at distinguo consequens: non est cur ab illa defendatur, si attendamus personam, & delictum, concedo: si attendamus Ecclesiæ pietatem (quæ in hoc magis reluctet) & loci sanctitatem, nego. Vide quæ dicuntur *infra dub. 22. & dub. 24. sect. 21.*

SECTIO IV.

An gaudeat hæreticus? Vbi etiam agitur de Gentili.

SVMMARIVM.

- 1 Hæreticus in aliis criminibus præter hæresim, quæ est casus exceptus, gaudet Ecclesiastica immunitate.
- 2 Lex priuans Hæreticum immunitate Ecclesiastica, intelligi debet formaliter, quatenus hæreticus est, non autem quatenus homicida est.
- 3 Opinio, quod hæreticus in aliis criminibus gaudeat immunitate, est saltem probabilis, vt concedunt etiam multi ex aduersariis.
- 4 Quando due opiniones sunt probabiles, illa amplecti debet, quæ fauet Ecclesiæ.
- 5 Vbi crimen non est exceptum, non habemus fundamentum, vt excipiamus personam.
- 6 Hæreticus si sit reconciliatus Ecclesiæ, absque dubio gaudet Ecclesiæ immunitate, quia licet fuerit, de presenti tamen hæreticus non est. Idem dic cum Diana de S. hismatibus, Apostatis, Hæreticorum fautoribus, & cæteris, si non sint cum errore intellectus.
- 7 Iudeus, Saracenus, & qui umque alius Gentilis conficiens ad Ecclesiam gaudet Ecclesiastica immunitate, siue confugiat ex delicto non excepto, siue ex debito ciuili.
- 8 Priuilegium immunitatis indistinctè conceditur omnibus, estque non tam personale, quam locale, conceditur enim personis non ratione personæ, sed ratione loci, qui sacer, & sanctus est.
- 9 Priuilegium loco concessum extenditur ad omnes ibi existentes.
- 10 Priuilegium immunitatis est fauorabile, & ideo latè interpretandum.
- 11 Opinio in contrarium, quod si infideles contra fideles flagitia commiserint, non gaudeant immunitate, est satis probabilis.
- 12 In lege veteri constituta erant ciuitates refugij pro Iudeis, & fratribus eorum, non autem pro Gentilibus.
- 13 Salomonis templum alienigenis ingredi, vel limine tenus attingere non licebat.
- 14 In sacra Scriptura pro aduenis, & peregrinis intelliguntur qui eundem Deum, eademque præcepta, caeremonias, & sacrificia colebant.
- 15 Presbyteri hi vocabantur, qui vt iure ciuitatis fruerentur, vel promissionum participes fierent, circumcidebantur, ac legi se subiciebant.
- 16 Infideles qui non sunt ex circumcisione, ex lege veteri non gaudebant refugio.
- 17 Lex Moysis quoad hæc confugij loca cum cæteris moralibus præceptis ad nos translata non fuit, atque ideo nunc abrogata est.
- 18 Infideles mirum non est, si (cum simus in tempore gratiæ) alliciantur per aliquod priuilegium, ad conuersionem.
- 19 Textus in l. 1. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, excludens Gentiles à priuilegio immunitatis, non est obseruandus, cum sit de iure ciuili & Pontifici iuri contrarius.
- 20 Par non est, quod ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, iutele, ac fidei se committere prorsus non vult.
- 21 Canones statuentes immunitatem reis, videntur loqui secundum materiam subiectam, de personis scilicet sub iurisdictione Ecclesiæ constitutis.

- 22 Ecclesia de his, qui foris sunt, non curat.
- 23 Privilegium immunitatis licet, ut favorabile, sit late interpretandum, non tamen plus est extendendum quam in terminis habilibus, & iuxta capacitatem subiectorum.
- 24 Declaratio Sacrae Congregationis, quod infidelis gaudeat immunitate, ultra quod de ipsa non constat authenticè, intelligi debet de infideli volente converteri.
- 25 Iudæus, Saracenus, & quicumque alius infidelis gaudeat immunitate volens converteri, & baptizari, secus non gaudet.
- 26 Par est quod Ecclesia tueatur eos, qui ipsi inservire volunt.
- 27 Textus in cit. l. i. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, excludit ab immunitate eos, qui simulat se convertunt, non eos, qui vere fidem Christi amplectuntur.
- 28 Ius canonicum non est contrarium dicto textui citat. in l. i. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.
- 29 Leges civiles servanda sunt quotiescumque Canonicis non contradicunt.
- 30 Nulla lex Canonica expresse de infidelibus disponit, gaudeant, vel non gaudeant immunitate.
- 31 Dubium si insurgat in lege Canonica, interpretatio petenda est à lege civili.
- 32 Par non est, quod ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, & fidei se committere non vult, inspecto eius delicto, & demerito; secus inspecta pietate matris Ecclesia alliciente ad conversionem.
- 33 Ecclesia non curat de his, qui foris sunt, si exerceat iurisdictionem, secus si concedat privilegia, quae etiam non subditis conferri possunt.
- 34 Gentilis, si ante patrati delictum, & conceptum indicis timorem signa dederit conversionis, confugiens ad Ecclesiam, & baptismum petens, praesentitur non simulat, sed ex animo petere, & e contra.
- 35 Presumptio hac an sit iuris, & de iure, ita ut adversus ipsam nulla admittatur probatio in contrarium. Dissentiunt Doctores, & sunt pro utraque parte scribentes.
- 36 Opinio Abbatis, & nonnullorum pro affirmativa est probabilior.
- 37 Presumptio tunc dicitur iuris, & de iure, quando ius certum quid statuit ob praesumptionem, quam habet.
- 38 & 39. Ius Civile statuit, Gentilem confugientem ad Ecclesiam, & Baptismum petentem, non esse defendendum, ob praesumptionem, quam habet, quod simulat petat. Ergo talis praesumptio est iuris, & de iure, & contra ipsam non admittitur probatio directa, secus autem indirecta.
- 40 Probatio indirecta erit, si probet is aliis rationibus praeter delictum patratum, motum se fuisse ad petendum Baptismum.
- 41 Probatio indirecta dum sit, potest Ecclesia concedere immunitatem probanti, secus si non probet.

Respondetur quod gaudeat etiam haereticus (in aliis tamen criminibus praeter haeresim; cum hæc sit casus exceptus, ut infra dicitur) quia respectu aliorum criminum haeresis se habet per accidens. Vide quæ dicuntur cit. dub. 22. & dub. 24.

Confirmatur, quia lex privans haeticum immunitate Ecclesiastica, intelligi debet formaliter, ut scilicet prius haeticum, quatenus haeticus est, non autem quatenus homicidia furto, aut alio crimine infectus est; alioquin qui occideret, vel mutilaret in Ecclesia, prius esset immunitate Ecclesiæ, non

solum quoad tale delictum, sed etiam quoad alia quælibet, quod est contra communioem sententiam Doctorum.

Confirmatur secundò, quia hæc opinio saltem est probabilis (ut concedunt multi ex ipsius Aduersariis apud Fagundez de præceptis Ecclesiæ. præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 49.) ergo est amplectenda. Consequentia 4 probatur, quia quotiescumque duæ opiniones sunt probabiles, illa debet amplecti, quæ fauet Ecclesiæ, sicuti rectè docent, & probant Gratianus in disputatione. cap. 88. num. 6. & cap. 131. num. 2. Pacianus respons. 7. num. 123. Hondedus consil. 3. num. 24. lib. 1. & Sperellus decis. 91. num. 29.

Confirmatur tertio, quia ubi crimen est exceptum, non habemus fundamentum, ut excipiamus personam: quapropter si excipiamus, temerè, & gratis excipimus.

Atque ita contra Gundisaluum de hæreticis, quæst. 11. Hypolitum in l. ex senatus consulto, ff. ad leg. Corneliam de sicariis, Oldradum consil. 54. Boëtium decis. 110. n. 6. Couar. cap. 20. num. 14. lib. 2. Nauartum cap. 25. n. 20. Clarum §. fin. quæst. 30. Peregrinum cap. 8. numero 13. Gambacurtam lib. 7. cap. 3. num. 6. Tannerum 2. 2. disput. 5. quæst. 8. dub. 1. num. 16. Bobadillam tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 54. Gigantem de crimin. lase Maiest. lib. 3. quæst. 93. num. 18. Cutellium quæst. 29. Decianum tract. crimia. lib. 5. cap. 26. num. 4. Sarpum de iure asylozum cap. 5. fol. 60. & Ambrosinum de immunit. cap. 8. num. 9. docent ex probabiliori sententia Doctorum Syluester verb. Immunitas, num. 2. Suarez tract. 1. de relig. cap. 1. num. 13. Ludouicus Correa relect. de immunitate, par. 3. num. 3. Castrus Palas tom. 2. tract. 11. disput. 2. nic. punct. 7. num. 4. Villalobos in summa, tom. 2. tractat. 39. diff. 7. num. 20. Farinac. in append. de immunit. cap. 13. num. 170. Mar. Italia lib. 1. cap. 5. §. 6. num. 7. Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. num. 2. Azor part. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 9. Portel. in dub. Regular. verb. Ecclesiæ immunitas, num. 10. Lezana verb. Immunitas Ecclesiæ, num. 3. & Bonacina disput. 3. de primo Decalog. præcept. quæst. 7. §. 3. qui rectè subdunt, quod si haeticus sit reconciliatus Ecclesiæ, absque dubio immunitate Ecclesiæ gaudeat; quia licet fuerit haeticus, de præsentis tamen haeticus non est. Vide etiam Antoninum Dianam ref. 29. qui rectè docet idem de schismaticis, apostatis, haeticorum fautoribus, &c. si non sint cum errore intellectus. Neque obstat, si dicas, quod tales, sicut & haetici, sint indigni, ut tali privilegio fruantur, cum sint hostes, & proditores Ecclesiæ. Nam ad hanc obiectionem facile responderetur infra dub. 19. sect. 6. & patet ex iis, quæ dicebam sect. præcedenti.

Dices, ergo & gaudet Iudæus, Saracenus, & quicumque alius Gentilis, si ad Ecclesiam confugiat.

Respondetur primò, concedo totum (idque siue confugiat ad Ecclesiam ex delicto; quamvis non excepto, siue etiam ex debito civili.) Atque ita satis probabiliter docent Gl. Hostiensis, Innoc. Ioan. Andr. & Cardinalis in c. inter alia, de immunit. Ecclesiæ. Sylu. verb. Immunitas 3. num. 2. Tabien. num. 7. Armilla num. 9. S. Antonin. part. 3. tit. 12. part. 3. §. 1. Tiraq. de iure priuogenitura, quæst. 66. num. 9. Felin. in c. Iudæi, de Iudæis, num. 2. Hippolytus in l. nie. C. de raptu Virginum, n. 114. Faber in l. i. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, & in §. sed & hoc, Insit. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, Barbol. in collect. tom. 1. lib. 5. tit. 49. cap. 6. num. 50. & de iure Ecclesiæ lib. 2. cap. 3. num. 44. (ubi testatur, sic declarasse mense Februario 1611. Sac. Congregat. Immunitatis.) Gauantus in Enchir. Episc. verb. Immunitas Ecclesiastica, num. 9. Fagundez de præceptis Ecclesiæ lib. 4. cap. 4. num. 49. Portel. verb. Ecclesiastica Immunitas, num. 10. Bobadilla tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 51. Diana p. 1. et aq. 1. resol. 22. Azor 2. part. lib. 9. c. 2. quæst. 9. Ricciullus de

de inrepatron. lib. 2. cap. 12. per totum, Zambellus in Repert. Mor. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem; num. 2. Carolus Maranta in controvers. iur. part. 2. resp. 5. §. 1. num. 3. Hieronymus Tabal. quest. 269. Mar. Italia de immunitat. Eccles. lib. 1. cap. 3. §. 1. & Ludouicus Correa relect. de immunitat. Eccles. part. 3. cap. 3. ex eo, quod in cit. can. inter alia, cap. minor, cap. frater, cap. si quis inueniens, & cap. si quis contumax, indistincte omnibus concedatur hoc privilegium, & sic videatur esse non tam personale, quam locale (vt scilicet concedatur personis non ratione personarum, sed ratione loci, qui sacer, & sanctus est:) privilegium autem loco concessum extenditur ad omnes ibi existentes, sicuti notarunt Bartol. in l. cunctos populos, C. de sum. Trin. & fid. Carbol. & in l. fin. C. de resumptis, & Bald. in l. si non speciali, C. eodem, quos sequuntur ceteri Doctores. Adde, quod privilegium immunitatis est fauorabile, & ideo late est interpretandum.

Quamvis, vt fatear, oppositum, praesertim, si Infideles contra fideles flagitia commiserint, satis probabiliter etiam doceant Couarr. 2. variat. cap. 20. num. 11. Clar. §. fin. quest. 30. num. 17. Remigius de immunit. fallen. 18. num. 3. Decian. tract. crim. lib. 6. cap. 26. num. 2. Ambrosinus cap. 8. num. 8. Fatinac. de carcerib. quest. 38. num. 68. Megal. in 3. p. r. lib. 4. cap. 2. num. 5. & 16. Peregrin. de immunit. cap. 1. 2. num. 1. Suar. de Paz in prax. tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 3. num. 106. Franc. Leo in thesaur. fori Ecclesiast. cap. 13. num. 13. Pereira de manu Regia part. 1. c. 5. num. 5. Sarpus de iure Asylorum cit. cap. 5. fol. 58. Cutell. ad legem Feder. cap. 72. notab. 81. num. 1. & de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 22. & alij, qui Iudaeum, Saracenum, & quemcunque alium Gentilem Ecclesiae immunitate gaudere absolute negant.

Primo, quia in lege veteri etiam ciuitates refugij ad confugas recipiendos constituta, solum erant pro Iudeis, & fratribus eorum, non item pro Gentilibus, Ps. 149. & ad Roman. 2. 14. & Salomonis templum alienigenis ingredi, vel limine tenus attingere non licebat, Num. 18. 7. ibi: Si quis exterius accesserit, occidetur. Quod si Num. cap. 35. refugij loca aduentis, peregrinisque patere dicantur, id non ad Gentiles referendum est; quia in sacra Scriptura aduentis, & peregrini, qui ad paria cum filiis Israel tractari praecipiuntur, sunt illi, qui eundem Deum, eademque praeccepta, caeremonias, ac sacrificia colebant, vt patet ex eodem lib. Num. cap. 15. ibi: Tunc indigena, quam peregrini eodem ritu offerunt sacrificia, eum praeceptum erit, & que iudicium, tam vobis, quam aduentis terra. Hi Proselyti vocabantur, qui vt iure ciuitatis fruenterent, vel promissionum participes fierent, circumcidebantur, ac legi se subiciebant, quorum memento Matth. 23. & Paul. 5. cap. ad Galatas. Quotiescumque ergo immunitatis sacrorum nostrorum Infideles participes fierent, id non conforme esset legi veteri, qua confugas, qui solum ex circumcisione erant, recipiebantur, sed non probat: Respondetur enim, quod modò Moysis lex quoad hanc confugij loca cum caeremoniis moralibus praecceptis ad nos translata non fuerit: nam quoad hanc partem ad iudicialia pertinet, atque adeo nunc abrogata est; sicuti rectè docet S. Th. 1. 2. quest. 105. art. 2. ad 10. Couarr. lib. 2. cap. 20. n. 2. vers. Prima conclusio, dum probat, immunitatis hoc ius iure Pontificio, & Caesareo sustineri, de quo nos supra dub. 2. dicebamus. Accedit, quod successit tempus gratiae, quare non mirum, si infideles etiam, vt sic saltem ad conversionem alliciantur, aliquorum privilegiorum participes efficiantur.

Secundo, quia in l. 1. Cod. de his, qui ad Eccles. confugij, Gentiles confugientes ad Ecclesiam à privilegio immunitatis Ecclesiae excluduntur, quamvis Baptismum petant, quia praesumuntur simulatè petere. Sed neque probat. Respondetur enim cum Correa loco supra cit. Abbate in cap. inter alia, de immunit. n. 6. Mario Thom. Delbene, de Immunit. Eccl. Pars I. I.

Italia lib. 1. cap. 3. §. 3. num. 1. & aliis, textum hunc esse iuris ciuiliis, & Pontificio contrarium, ideoque non esse obseruandum.

Tertio, quia par non est, quod ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, tutelae, ac fidei se committere prorsus non vult: quapropter licet puniri poena non possit, gaudere tamen privilegio aliquo non meretur, vt habetur in l. privilegia, Cod. de heret. & Mich. & docet S. Th. 2. 2. quest. 10. art. 6. & quest. 12. art. 2.

Quarto, quia Canones statuantes immunitatem reis, videntur loqui secundum materiam subiectam, de personis scilicet sub iurisdictione Ecclesiae constitutis; eum Ecclesia de his, qui foris sunt, non curet, iuxta illud Ioan. 21. 18. Pasci oves meas; & expressè dicitur ad Corinth. 1. cap. 5. 12. & ex communi docet Victoria in relectione de Indis, num. 21. Vnde ad iura citata oppositum responderi posset, quod licet illa videantur indistinctè omnibus, siue liberis, siue seruis, &c. tale privilegium concedere, reuera tamen intelligenda sint de liberis, & seruis fidelibus, cum Ecclesia (sicuti dicebam) de his, qui foris sunt, non curet. Et consequenter, quod licet privilegium immunitatis, vt potè fauorabile, late interpretandum sit, non tamen plus sit extendendum, quam in terminis habilibus, & iuxta capacitatem subiectorum. Et ad declarationem Congregationis responderi posset, quod de ipsa non constet authenticè, vel quod intelligatur de infidelibus, qui ad Ecclesiam confugit, verè conuerti volens, iuxta ea, quae mox infra dicentur, & refert, & sequitur Barbosa tom. 2. de iure Eccles. cap. 3. num. 44.

Quapropter responderetur secundo: distinguo consequens. Ergo & gaudet Iudaeus, Saracenus, & quicumque alius gentilis immunitate Ecclesiae, si verè, siue Baptismo petito, siue non petito, conuerti velit, concedo: si conuerti simulet, nego. Atque ita contra Couarruiam, Clarum, Remigium, & alios in locis supra cit. Doctores absolute negantes docent. Gloss. marginalis in l. 1. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugij, & altera Gloss. in cap. inter alia, vers. extrahendus, de immunit. Eccles. Angel. verb. Immunitas, §. 13. Sylu. loco supra cit. Nauar. cap. 25. num. 10. Starez tom. 1. de religion. cap. 10. num. 10. & 11. Filiucius tract. 15. c. 6. quest. 5. num. 151. Gambacurta lib. 2. part. 2. cap. 7. n. 88. Tuschus verb. Ecclesia, conclus. 10. num. 28. Azor 2. part. lib. 9. cap. 9. quest. 9. Fatinacius in append. de immunit. c. 5. num. 83. Lezana verb. Immunitas, num. 5. Gutierrez pract. 99. civil. lib. 3. quest. 7. num. 51. Baiar. ad Clarum quest. 30. n. m. 23. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 12. Cutellius cit. q. 22. n. 22. & Bonacina disp. 3. de primo Decal. precept. 9. 7. de immunit. §. 3. n. 5. Et probatur (vnde patet responsio ad opposita) quia par est, quod Ecclesia tueatur eos, qui ipsi inferuire volunt. Secundo, quia in cit. l. 1. C. de his, qui ad Ecclesiam confugij, excluduntur ab immunitate, qui simulatè se conuertunt: ergo tacite admittuntur, qui reuera fidem amplectuntur. Quapropter idem de iure Canonico dicendum est, & quod cit. c. inter alia, ibi: Iuxta statuta Canonum, & traditiones legum ciuiliu. Tum quia leges ciuiles seruandae sunt, quotiescumque Canonice non contradicunt (vt est in casu nostro, quia nulla lex Canonica expressè de infidelibus disponit, gaudeant, vel non gaudeant immunitate) tum quia, cum dubium insurgit in lege Canonica, in omni sententia interpretatio petenda est ex lege Ciuili. Tertio, quia, sicuti dicebam, privilegium immunitatis videtur esse, non tam personale, quam locale, cum omnibus, etiam infidelibus, saltem si verè conuerti velint, competere videatur, praesertim quia, vt etiam dicebam, est privilegium fauorabile, & sic etiam ad infideles, saltem si verè conuerti velint, extendendum, praesertim secundo, quia, vt supra similiter dicebam, sic apud Barbof. de iure Eccl. lib. 2. c. 3. n. 44. & tom. 5. in Collect. n. 39. declarauit Sacra Congregatio mense Febr. anno 1631. cuius declaratio, C etiamfi

etiam si de ipsa non constet authenticè, facit saltem opinionem valde probabilem, & in praxi sequendam.

Ad argumenta autem, quibus supra probabatur, quod privilegium immunitatis non competat infidelibus, si quidem loquantur de infidelibus, qui verè conuerti velint, facillè respondetur ex dictis; siquidem ad primum, & secundum patet, vt suprà. Ad tertium autem respondetur distinguendo: par non est, quod ab Ecclesia defendatur is, qui eius gremio, tutelæ, ac fidei se committere non vult, distinguo: si attendatur eius delictum, & demeritum, concedo: si attendatur pietas matris Ecclesiæ, vt sic saltem alligat ad conuersionem, nego. Quod inde confirmatur: quia alioquin neque competere illud deberet hereticis, quin neque Catholicis delinquentibus, præsertim excommunicatis, cum & hi, si attendatur ipsorum delictum, & demeritum, indigni sint, qui defendantur ab Ecclesia, & eius immunitate gaudeant. Ad quartum respondetur: nego antecedens, & ad probationem, quod Ecclesia non loquatur de iis, qui foris sunt. Respondetur distinguendo: si imponat præcepta, concedo, quia non habet in eos iurisdictionem: si conferat privilegia, quæ etiam non subditis conferri possunt, nego; quia sic allicit ad conuersionem, & magis ostendit suam pietatem. Itaque Infidelis, seu Gentilis, satis probabile est, quod gaudeat immunitate Ecclesiæ, saltem in casu, quod verè conuerti velit, siue petendo, siue non petendo explicite Baptismum.

Cæterum, si Gentilis ante patratum delictum, & conceptum iudicis timorem signa dederit conuersionis, confugiens ad Ecclesiam, & Baptismum petens, præsumitur non simulatè, sed ex animo petere, quia tunc petere præsumitur ex eadem voluntate, qua primo Baptismum desiderabat, non autem ex animo vitandi pœnam, & se securum reddendi in Ecclesia. Si autem post patratum delictum, & conceptum iudicis timorem Baptismum petat, præsumitur simulatè petere, & solum pœnæ vitandæ causa; ideoque (nisi contrarium appareat) ab Ecclesia extrahi poterit. Atque ita deciditur in dist. 1. 1. Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt, & docent Decian. cap. 28. n. 2. Gambacutta, Peregrinus, Suarez, Farinacius, Layman, & Bonacina in locis suprà cit.

An autem hæc præsumptio sit iuris, & de iure, ita vt aduersus ipsam nulla admittatur probatio in contrarium.

Negant Suarez, Farinacius, Layman, Bonacina ubi suprà. Peregrin. de immunit. cap. 12. num. 1. & Diana part. 4. tract. 1. res. 50. dicuntque solum esse præsumptionem iuris, ita vt admittatur probatio in contrarium. Quinimò ad Ecclesiæ Prælatum pertineat, vt in hoc casu voluntatem rei Baptismum petentis examinet, & si iudicari verè à Deo eum esse inspiratum, immunitatem ei concedat, vt à indice extrahi ex Ecclesia non possit.

Affirmant autem probabilius Abb. in dist. cap. inter alia, num. 6. Marcha de iurisd. part. 3. cap. 51. num. 33. Megalio in 3. part. lib. 4. cap. 2. Sarpus de iure asylo- rum, cap. 5. fol. 58. & quidam alij, quia tunc est præsumptio iuris, & de iure, quando ius certum quid statuit ob præsumptionem, quam habet (vt rectè probat Menoch. de præsumpt. lib. 1. quest. 3. num. 16. & segg. & Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 37. num. 7. & 8. & alij passim.) At in præsentis ius civile statuit, gentilem confugiensem ad Ecclesiam, & Baptismum petentem, non esse defendendum ab Ecclesia, ob præsumptionem, quam habet, quod simulatè petat: ergo præsumptio de tali simulatione est iuris, & de iure; atque adeo aduersus ipsam non admittitur probatio. Intellige, directè: indirecta enim, qua scilicet funda-

mentum simulationis excluditur, admitti potest, & debet, vt rectè ex communi probat Sanchez. 33. Erit autem probatio indirecta in præsentis, si probet is aliis rationibus præter delictum patratum, motum se fuisse ad petendum Baptismum. Interim verò dum hæc indirecta probatio sit, poterit Ecclesia ad se confugiensem defendere, factaque probatione si iudicet petitionem ex vero animo conuersionis ortam fuisse, concedere debet immunitatem Ecclesiasticam, sicut & Baptismum; secus verò, si id probatum non fuerit. Vide Decianum, Gambacuttam, Peregrinum, Suarez, Farinac, Layman, & Bonac. in locis suprà cit. ex dictis sequitur, quod multò magis immunitate gaudeant catechumeni; quia licet non sint baptizati, sunt tamen fideles, & desiderant esse in Ecclesia. Quapropter multò magis æquum est, vt ipsa eos defendat, præsertim cum iura illos non excludant, quin potius cum generaliter loquantur, includant.

SECTIO V.

An gaudeat bannitus, & condemnatus ob delictum?

SUMMARIUM.

1. Bannitus, & condemnatus ob delictum, licet ob delictum exceptum, non tamen si fuerit condemnatus plenè probationibus, gaudet immunitate.
2. Bannitus non debet post condemnationem esse melioris conditionis, quam ante condemnationem.
3. Condemnatus ex solis indicis, & ex probationibus non concludentibus, gaudet immunitate.
4. Bannitus multo magis gaudebit si quomodocumque condemnatus fuerit ob delictum non exceptum.

Respondetur, quod etiam gaudeat bannitus, & condemnatus ob delictum, quamvis ob delictum exceptum (non quidem, si fuerit condemnatus plenè probationibus; quia tunc, si ante condemnationem non gaudet, multo minus post condemnationem gaudebit, vt rectè notauit Farinac. de carcerib. q. 28. n. 47. quia non debet post condemnationem esse melioris conditionis, sed si condemnatus sit ex solis indicis, & ex probationibus non concludentibus.) Ratio est, quia tunc potius ob contumaciam, quam ob delictum exceptum condemnatus est, & per fugam ad Ecclesiam non tam intendit fouere inobedientiam, quam vitare condemnationem. Atque ita docet Clarus in pract. §. fin. q. 3. Mantica, Nauarrus, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. de carcerib. q. 28. n. 47. & in append. de immunit. c. 2. n. 42. & segg. & Lezana verb. Immunitas Eccles. n. 16. Quidquid in contrarium in aliquo sensu sentire videatur Decian. 2. p. tract. crimin. lib. 6. cap. 27. n. 8. Et multo magis gaudebit, si quomodocumque condemnatus fuerit ob delictum non exceptum. Vide quæ dicuntur dub. 34. s. el. 27.

SECTIO VI.

An gaudeat captus, & fugiens à carcere, vel exilio?

1. Captus, & in carcere inclusus, si fracto carcere ad Ecclesiam confugiat, gaudet immunitate.
2. Deportatus, vel Exul, si à loco deportationis, vel exilij ad Ecclesiam confugiat, gaudet immunitate.

3 Qui